ſcribi fecimus & ſigillorum noſtrorum munimine roboravimus. Teſtes autem hujus rei ſunt *Wernerus* Prepoſitus ſancti *Martini Bodo* Prepoſitus ſancti *johannis Waltherus* celerarius *Widekyndus* de *Hoya Bruno* Cantor *Bernhardus* Abbas de *Inſula Lambertus* Prepoſitus de *Neudorpe Hinricus* comes de *Hoya Hinricus* & *Luidolphus* Comites de *Oldenborge Theodericus* & *Bernhardus* nobiles de *Lon Conradus* de *Mandesle Alexander* & *Helenbertus* Camerarius *Conradus de uffle* & alij quam plures. Acta ſunt hec Anno Domini Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo Datum *Minde* ſexta decima Kalendas Aprilis.

CLVIII.

SVPER DOTATIONE CAPELLE IN HOKELNE.

Johannes Dei gratia Mindenſis Epiſcopus *Th.* Prepoſitus G. Decanus *W.* Prepoſitus ſancti *Martini* & Archidyaconus in *Hokelne* totumque ejusdem Eccleſie Capitulum omnibus Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris eternam in Domino ſalutem. Quoniam oblivio inimica memorie ea que faciunt homines ſolet ſepelire, neceſſarium videtur & eſt ut ea que temporaliter geruntur ſcriptis eternentur, proinde notum eſſe cupimus tam preſentibus quam futuris quod *Thidericus* miles dictus de *Ekeſen* eccleſie noſtre miniſterialis conſenſu noſtro requiſito & habito capellam in *Hokelne* dictam ſancte

crucis